



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Solvuntur objectiones,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

sumpta, scilicet supernaturalis, qualis est visio beatifica, requiritur cognitio mediiorum in particulari, à quibus essentialiter dependet: nimirum gratiæ sanctificantis, fidei, spei, charitatis, &c.

§. II.

*Solvuntur objectiones.*

70. **O**bjicies primò cum Scoto: Evidens est lumine naturali, intellectum creatum posse cognoscere quicquid continetur intra ejus objectum adequatum: Sed eodem lumine naturali constat, Deum clarè visum contineri sub objecto adequato intellectus creati, quod, ut supra diximus, est ens in communi, ut abstrahens à creato & increato, à naturali & supernaturali: Ergo lumine naturali evidens est, Deum posse ab intellectu creato videri, ut in se est.

71. **R**espondeo primò: negando Minorem. Non est enim evidens lumine naturali, objectum adequatum intellectus esse ens in communi, prout abstrahit à naturali & supernaturali, cum lumine naturali non possit cognosci, dari aliquod ens supernaturale. Unde quamvis Deus clarè visus, re verà sub illo contineatur, hoc tamen solo lumine naturali demonstrari nequit.

**R**espondeo secundò: Quòd quamvis lumine naturali esset evidens, ens ut sic secundum rationem communem suæ analogiæ, esse objectum adequatum intellectus creati, nihilominus nequit inde evidenter concludi, ac demonstrari possibilitas visionis beatificæ; quia ad hoc salvandum, non est necesse quòd intellectus creatus possit attingere Deum ut in se est, & cognitione clarà & intuitivà, qualis est visio beatifica: Sed fatis est quòd abstractivè aut alio modo imperfectiori, sit ab illo cognoscibilis.

72. **I**nstat Scotus: Lumine naturali evidens est perfectionem convenientem potentiæ inferiori, posse competere superiori, si ambae ad idem genus pertineant: Sed attingere intuitivè omnia objecta contenta sub objecto specificativo potentiæ, competit potentiis cognoscitivis intellectui inferioribus, nimirum visui, auditui, & aliis sensitivis potentiis: Ergo evidens est, id etiam posse convenire intellectui.

**C**onfirmatur: Nulla est repugnantia quòd intellectus adjuvetur, seu elevetur ad cognoscendum Deum ita perfectè sicut alia objecta; & consequenter, si ista potest intuitivè cognoscere, Deum etiam poterit clarè & intuitivè videre.

73. **A**d instantiam respondeo negando Majorem, multæ enim perfectiones competunt inferiori alicujus generis, quæ superiori competere nequeunt: nam cælo convenit incorruptibilitas, quæ tamen homini qui cælo est superior non competit: habitui primorum principiorum convenit evidentia, fidei tamen, quæ superior est, non convenit. Et ratio est in promptu, licet enim talis perfectio superiori non conveniat, potest tamen illi convenire alia major perfectio, per quam alia ejusdem generis inferiora excedat; & sic contingit in proposito, nam posse Deum abstractivè attingere, & omnia objecta sensuum abstractivè & intuitivè, longè majus est quam ad objecta sensibilia intuitivè attingenda alligari: primum autem convenit intellectui, secundum sensibus.

74. **A**d confirmationem dicatur in re ita esse, sed non evidenter demonstrari quòd talis repugnantia non sit; unde si aliquis potest contenderet

*Tom. I.*

**A** talem repugnantiam dari, ex principiis naturæ non possit evidenter convinci. Potestque contra hunc discursum fieri manifesta instantia: Angelus enim omnia objecta quæ sunt infra Deum comprehensivè cognoscit, & tamen ex hoc non licet inferre nullam esse repugnantiam, ut elevetur à Deo ad ipsius comprehensionem: Ergo Major illius discursus evidens non est, possit enim aliquis respondere exigi infinitam virtutem ad attingendum Deum clarè in seipso, qui sic respondens non possit evidenter convinci ex principiis naturæ.

**O**bjicies secundò: Qui comprehendit aliquam potentiam, cognoscit omnes actus, & omnia objecta ad quæ potest se extendere: Sed Angelus naturaliter comprehendit intellectum humanum, qui est capax visionis beatificæ: Ergo solo lumine naturali cognoscit, intellectum humanum ad illam posse elevari, ac proinde illam esse possibilem.

**R**espondeo primò, negando Majorem: Nam ad comprehensionem alicujus potentiæ, sufficit quòd cognoscantur in communi actus & objecta ad quæ illa potest se extendere, nec requiritur quòd talis cognitio descendat ad omnia objecta particularia, & terminetur ad omnes ejus actus in individuo: verbi gratià ut comprehendatur potentia visiva aquilæ, non est necesse cognoscere explicitè, & in particulari, omnia objecta quæ potest videre; sed sufficit cognoscere in communi, quòd illa potest videre quicquid visibile est. Similiter ut Angelus comprehendat intellectum humanum, sufficit ut videat, illum posse cognoscere quicquid cognoscibile est.

**R**espondeo secundò: Datà Majori, distinguo Minorem. Angelus naturaliter comprehendit intellectum humanum, secundum potentiam naturalem, concedo: secundum potentiam obedientialem, nego. Homo autem, non est capax visionis beatæ, secundum potentiam naturalem, sed tantum secundum potentiam obedientialem. Unde licet Angelus naturaliter comprehendat potentiam naturalem intellectus creati, non sequitur quòd in ea cognoscat possibilitatem visionis beatificæ.

**D**ices, Potentia obedientialis identificatur realiter cum intellectu humano, & est illi essentialis: Ergo non stat intellectum humanum comprehendi ab Angelo sub conceptu differentiali, & non cognosci ab illo sub conceptu potentiæ obedientialis. Consequentia probatur, nam comprehendere est cognoscere objectum, quantum cognoscibile est: Sed non stat objectum sic cognosci, & prædicatum aliquod ipsi essentiali cognoscentem latere: Ergo &c.

**R**espondeo concessio Antecedenti, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicatur duplicem esse comprehensionem, alteram quæ est tantum talis absolutè & omnibus modis; alteram quæ est tantum talis in determinato genere: primam non potest aliquod objecti prædicatum latere, secundam verò nullum ex illis quæ spectant ad genus in quo est comprehensio: Angelus autem comprehendit intellectum humanum comprehensione naturali, & ideo nullum prædicatum naturaliter cognoscibile, potest ipsi latere; non verò comprehendit illum comprehensione adequatà in omni genere, ideoque potentia obedientialis quæ non est naturaliter cognoscibilis, ejus cognitionem subterfugere potest.

**E**x dictis inferes, etiam supposità fide & divinà revelatione, non posse naturali ratione demon-

Q iij

Arari visionis beatificæ possibilitatem; illa tamen supposita, demonstratione Theologicâ, ejus possibilitatem posse ostendi.

Prima pars hujus corollarij patet ex dictis. Nam adhuc revelatione suppositâ, non potest naturalis ratio nisi causâ & effectus naturales cognoscere: At ex illis nequit evidenter cognosci possibilitas visionis beatæ, ut supra ostensum est: Ergo etiam revelatione suppositâ, ratione naturali demonstrari nequit.

Quod verò Theologicè demonstrari possit, etiam constat, nam hæc demonstratio Theologica est: Propensio innata, sive naturæ sit, sive gratiæ, ad impossibile terminari nequit: At homo habituali gratiâ præditus, propensione innatâ, non naturæ, sed gratiæ, in supernaturalem beatitudinem tendit: Ergo illa est possibilis. In qua demonstratione Major est nota lumine naturali, Minor verò est de fide, cum gratiæ habitus secundum fidem, sit semen gloriæ, & fons aquæ salientis in vitam æternam, seu in illam connaturaliter tendens: Ergo conclusio quæ ex illis præmissis per bonam consequentiam inferitur, Theologica est.

#### ARTICVLVS V.

*Qualis sit appetitus hominis viatoris, ad claram Dei visionem?*

##### §. I.

*Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ.*

81. Notandum primò ex D. Thoma 1. parte quæst. 19. art. 1. duplicem dari appetitum, unum innatum, alterum elicited. Primus est inclinatio seu propensio ab Authore naturæ indita, quâ unaquæque res, absque ulla cognitione, in suum bonum connaturale est propensa: qualis est propensio gravis in centrum, & levis in locum sursum. Secundus verò, qui propriè rationem appetitûs habet, est actus appetendi, quo res fertur in bonum cognitum sub ratione boni; & ita procedit à speciali quadam potentia, scilicet ab appetitu sensitivo, vel rationali, quorum unus fertur in bonum sensibile, alter verò in bonum ut sic.

82. Notandum secundò, Appetitum elicited adhuc duplicem esse: unum efficacem & absolutum, inferentem executionem mediorum necessariam ad assecutionem boni concupiti: alium inefficacem seu conditionatum, qui dictam executionem mediorum non infert, & velleitas quædam appellari solet. Prior significatur per verbum *volo*, posterior per verbum *vellem*: ille fertur in rem solùm possibilem haberi, iste verò etiam ad impossibilia se extendit.

83. Notandum tertio, Appetitum elicited alium esse necessarium quoad specificationem & exercitium simul, ut in brutis circa bonum conveniens apprehensum, & in beatis circa Deum clarè visum: alium verò esse necessarium tantùm quoad specificationem, qualis est actus appetendi beatitudinem in communi; nam licet homo naturaliter inclinetur ad bonum seu beatitudinem in communi, non necessitatur tamen ad eliciendos semper actus amoris circa hujusmodi bonum, sed interdum eos suspendere potest. His præmissis.

84. Difficultas & controversia est inter Theologos,

A quonam appetitu feratur homo in claram Dei visionem? Scotus enim in 4. dist. 49. quæst. 10. Durandus ibidem quæst. 8. & Valentia 1. 2. quæst. 7. art. 8. disp. 1. puncto 1. docent in natura intellectuali, secundùm se considerata, esse appetitum innatum ad claram Dei visionem, prout est in se trinus & unus. Vazquez autem 1. 2. disp. 22. Suarez libro 2. de attrib. negat. cap. 7. num. 10. & 11. & alij ex recentioribus volunt esse in natura intellectuali appetitum, non quidem innatum, sed elicited, saltem conditionatum & inefficacem, necessarium tamen quoad specificationem, ad eandem Dei visionem, prout est in se trinus & unus, sive prout est Author tam naturæ quàm gratiæ. Pro resolutione, sit

##### §. II.

*Triplici conclusione difficultas propostæ resolvitur.*

Dico primò: Non datur in homine secundùm se considerato, seu fide & gratiâ destituto, appetitus innatus ad claram Dei visionem. 85.

Probatur primò: Appetitus innatus (ut in 1. notabili diximus) est pondus quoddam naturæ in bonum sibi connaturaliter debitum: Atqui in homine secundùm se considerato, nullum datur pondus naturæ, sed duntaxat potentia obedientialis, ad claram Dei visionem, cum illa non sit connaturaliter ei debita, sed superexcedens & improporcionata viribus ejus naturalibus, ut ex supra dictis patet: Ergo non datur in homine secundùm se considerato, seu fide & gratiâ destituto, appetitus innatus ad visionem beatificam. Unde D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. *Quantis ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem, secundùm communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis quâ advenit in hoc vel in illo summum bonum hominis constare.*

D Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: 86. Appetitus innatus est à Deo ut Authore naturæ, & infundente formam naturalem: Sed appetitus visionis claræ Dei, non potest esse ab Authore naturæ: Ergo non potest dari appetitus innatus ad illam. Major patet, Minor probatur primò. Appetitus à Deo ut Authore naturæ inditus, solùm tendit in Deum ut finem naturalem, nam ut communiter dicitur, *juxta ordinem agentium, est ordo finium*: Atqui Deus, ut clarè visus, non est finis naturalis, sed supernaturalis: Ergo appetitus visionis claræ Dei non potest esse à Deo ut Authore naturæ, sed solùm ut largitore gratiæ & aliorum donorum supernaturalium.

E Secundò eadem Minor suadet: Author naturæ non dat appetitum quem non possit explere: Sed Deus ut Author naturæ, non potest explere aut quietare appetitum visionis beatificæ: Ergo nec illum tribuere. Minor patet, natura enim, sive potius Author naturæ, nihil facit frustra: faceret autem aliquid frustra, si daret appetitum ad aliquid ad quod non posset perducere. Unde Aristoteles 2. de celo, textu 3. docet quod si natura dedisset cælis inclinationem ad motum progressivum, dedisset etiam instrumenta ad talem motum; quod etiam alibi asserit de quibusdam animalibus imperfectis, quibus natura talia instrumenta denegavit. Minor etiam non est minus evidens: Tum quia visio beatificæ, cum sit